

BREVIARIUM PROPRIÆ  
DIOECESIS  
ROTTENBURGENSIS  
TOMUS PRIOR

Die 22 Ianuarii

S. MEINRADI

Eremitæ, Martyris

III classis

AD MATUTINUM

Bened. Ad societatem.

Lectio iii

**M**einradus ex nobili Alemannorum genere natus prope Rottenburg in pago Sülchen nuncupato adhuc puer a parentibus Erlebaldo propinquo, monacho et postea abbati Augiæ Divitis traditus est. Virtute et scientia insignis, annos viginti quinque natus presbyter, deinde monachus factus ab Erlebaldo scholæ asceterii in loco Benken nominato præficitur. Sed anachoreticæ vitæ flagrans desiderio, in Ezelium secessit montem, lacui Turicino imminentem, in quo per septennium vitam poenitentiae transegit. Ut magnum ad se accedentium

concursum evitaret, in vastissimam silvæ solitudinem sese abdidit. Ibidem cellula et oratorio exstructis, vitam admirandæ sanctitatis peregit. Eum denique, cum in eremo viginti sex egisset annos, duo nefarii homines adversus eum coniurati, fuste contusum miserabiliter strangularunt, duodecimo Kalendas Februarias anno octingentesimo sexagesimo primo. Latrones vero corvorum insequentium vocibus proditi meritas sui criminis dederunt poenas. Aliquot autem post annos in martyrii loco nobile monasterium Einsiedlense erectum est, quod iugi sancti Meinradi memoria, et imprimis celebri Virginis Deiparæ aedicula ac præterea gratis crebrisque eiusdem Virginis miraculis universo mundo est venerabile. Te Deum laudamus.

*Ad Laudes* √. Iustus ut palma.

*Ad Bened. ant.* Qui odit

*Oratio*

**B**eáti Meinrádi Sacerdótis  
et Mártyris tui, quaesu-  
mus, Dómine, intercessióne  
nos ádiuva: ut eius suffúlti  
suffrágio; quam precámur  
indulgéntiam peccatórum  
cónsequi mereámur. Per  
Dóminum.

*Et fit com. Ss. Vincentii et  
Anastasio Mart.*

*Ad Vesperas* √. Iustus ut palma.

*Ad Magnif. ant.* Qui vult venire.

Die 28 Ianuarii

**B. HENRICI SUSONIS**

*Confessoris*

*III classis*

AD MATUTINUM

*Bened.* Ad societátem.

*Lectio iii*

**H**enricus Suso, ex illus-  
tri familia Constantiae  
urbis in Suevia ortus, iuste  
sancteq̄ue educatus, decimo  
tertio aetatis anno Praedi-  
catorum Ordini Constantiae  
nomen dedit. Primo quidem  
humanae fragilitati paululum  
indulgebat, sed Dei miseri-  
cordia penitus attractus, facta

confessione generali, magno  
animi ardore caelestibus  
solum inhiare et Dei prae-  
sentiam iugiter contemplari  
constituit. Christianae morti-  
ficationis exemplar effectus,  
Christi passionem in seme-  
tipso exprimere et affectus  
inordinatos eradicare miris  
abstinentiis corporisque cru-  
ciatibus conatus est. Sed De-  
us, qui ad sublimiora illum  
vocaverat, corporis cruciati-  
bus hisce amariores spiritus  
afflictiones adiunxit. Qui-  
bus angustiis nec non homi-  
num molestiis ac persecuti-  
onibus Henricus undique  
iactatus firma spe, humilitate  
et patientia de adversis tri-  
umphavit. Lector et Prior  
conventus sui factus, regulis  
observandis et orandi studiis  
se totum dedit. Verbum Dei  
magno animi ardore praedi-  
cans, innumeros viros ac  
mulieres ad paenitentiam vi-  
tamque spiritualem adduxit.  
Obiit in coenobio Ulmensi  
anno salutis millesimo tre-  
centesimo sexagesimo sexto.  
Huius sancti viri cultu rite  
probato, Pius decimus dioe-

cesi Rottenburgensi Offici-  
um Missamque in eius ho-  
norem benigne concessit.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes* √. Iustum deduxit.

*Ad Bened. ant.* Euge serve bone.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Henrí-  
cum Confessórem tu-  
um córporis mortificatióne  
et caritáte mirábilem effecís-  
ti: concéde; ut Christum  
crucifixum corde dilígere et  
ópere in nobis exprímere  
valeámus. Per eundem.

*Et fit com. S. Petri Nolasci  
Conf.*

*Ant:* Similabo eum viro  
sapienti, qui aedificavit do-  
mum suam supra petram.

√. Amavit eum Dominus.

*Deinde com. S. Agnetis  
Vírg. et Mart. sec.*

*Ad Vesperas* √. Iustum deduxit.

*Ad Magnif. ant.* Hic vir.

Die 15 Martii

**S. CLEMENTIS MARIE  
HOFBAUER**

*Confessoris*

*III classis*

*Tempore quadragesimali fit  
com. in Laudibus tantum.*

*Ant.* Euge serve bone et fidélis,

quia in pauca fuísti fidélis, supra  
multa te constítuam, dicit Dó-  
minus.

√. Iustum deduxit Dóminus  
per vias rectas. *R.* Et osténdit  
illi regnum Dei.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Cle-  
mémentem Mariám miro  
fidei róbores et invíctæ con-  
stántiæ virtúte decorásti: eius  
méritis et exémpis fac nos,  
quaésumus, ita fortes in fide  
et caritáte fervéntes, ut praé-  
mia consequámur æténa.  
Per Dóminum.

Die 7 Aprilis

**S. HERMANNI IOSEPHI**

*Confessoris*

*III classis*

AD MATUTINUM

*Bened.* Ad societátem.

*Lectio iii*

**H**ermannus, Coloniae  
Agrippinae saeculo de-  
cimo secundo exteunte na-  
tus, a prima infantia tenerri-  
mo erga Deiparam Virginem  
amore refulsit, quare inter  
alios favores beatissima Virgo  
eum Ioseph vocari voluit.  
Puerulus Deiparae ecclesiam  
frequentare et imaginem,

oblatis quoque puerilibus munusculis, honorare consuevit. Cum duodecim esset annorum, iam in ecclesia Steinfeldensi amictu niveo Ordinis Praemonstratensium indutus est. Sacerdotio auctus, castitate, humilitateque praeprimis excelluit, pluraque pia carmina composuit. In monasterio Monialium Cisterciensium Hoveniensi, senio confectus, virtutibusque clarus, medio saeculo decimo tertio, supremum diem obiit, quem prophetiae spiritu praedixerat. Eius sanctitatis et miraculorum fama inde mirifice crevit, sepulcrumque eius in monasterio Steinfeldensi factum est gloriosum. Pius Papa duodecimus cultum Beato Hermannio Iosepho, Sancto nuncupato, confirmare dignatus est.

Te Deum laudamus.

*Ad Laudes* √. Iustum deduxit.

*Ad Bened. ant.* Euge, serve bone.

### Oratio

**D**eus, qui beátum Hermannum Ioséphum Confessórem tuum in be-

nedictiónibus dulcédinis a puerítia praevenísti: praesta, quaesumus, ut innocéntis et sanctae vitae eius vestígiis insistentes, ad caelestem patriam, in qua gloriósus exsúltat, securi perveniámus. Per Dom.

*Ad Vesperas:* √. Iustum deduxit.

*Ad Magn ant.* Hic vir.

## Die 21 Aprilis S. CONRADI A PARZHAM

Confessoris

III classis

AD MATUTINUM

*Bened.* Ad societátem.

Lectio iii

**C**onradus in oppido Parzham dioecesis Passaviensis piis honestisque parentibus natus, inde a puero, modestis et solitudinis amore, quanta futurus esset sanctitate, praemonstravit. Integra iuventute, in agrorum cultura transacta, ut Deo liberius famularetur, mundo valedicere statuit, quapropter, peramplo patrimonio abdicato, inter fratres laicos Ordinis Minorum Capuccinorum adnumerari

obtinet. Statim ab emissa professione, ad sanctae Annae conventum civitatis Vettoettingae missus est, ibique ianitoris officio addictus, quod ad obitum usque maximo proximorum emolumento in omnibus tum animae tum corporis necessitatibus exercuit. Erga Eucharistiam assiduo flagavit devotionis affectu, et Deiparam Virginem tamquam matrem quotidianis obsequiis coluit. Migravit ad Dominum anno millesimo octingentesimo nonagesimo quarto, aetatis suae septuagesimo quinto. Hunc Dei famulum Pius Papa undecimus anno millesimo nongentesimo trigésimo inter Beatos retulit; novisque miraculis fulgentem, quadriennio post, idem Summus Pontifex sanctorum fastis sollemniter adscripsit. Te Deum laudamus.

*Ad Laudes: V.* Iustum deduxit.

*Ad Ben ant.* Euge, serve bone.

### Oratio

**D**eus, qui misericordiae tuae ianuam fidelibus patere voluisti: te supplices exoramus; ut, intercedente beato Conrado Confessore tuo, temporalia subsidia nobis tribuas et aeterna. Per Dominum.

*Et fit com. sancti Anselmi Ep. et Doct.:*

### Oratio

**D**eus, qui populo tuo aeternae salutis beatum Anselmum ministrum tribuisti: praesta, quaesumus; ut, quem Doctorem vitae habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in caelis. Per Dominum.

*Ad Vesperas V.* Iustum deduxit.

*Ad Magnif. ant.* Hic vir.

Die 27 Aprilis

**S. PETRI CANISII**

*Conf. et Ecclesiae Doctoris  
II classis*

In II Nocturno

**Lectio iv**

**P**etrus Canisius, Noviomagii in Gélria eo ipso anno natus est, quo Luthérus in Germania, aperta rebellione, ab Ecclesia descivit, et Igna-

tius de Loyola in Hispania, terréstri militia abdicáta, ad proeliánda prælia Domini se convertit; Deo nimírum portendente, quos ille post-hac adversarios, quem sacræ militiæ ducem esset habiturus. Coloniae Aggripinae, quo studiorum causa concesserat, perpetuo castitatis voto se Deo obstrinxit, et paulo post Societati Iesu nomen dedit. Sacerdotio auctus, catholicam fidem contra novatorum insidias legationibus, sermonibus, scriptis libris statim defendendam suscepit. Ob praeclaram sapientiam et exploratum rerum usum a Cardinali Augustano et a pontificiis legatis magnopere expetitus, semel atque iterum Concilio Tridentino interfuit, cuius etiam decreta ex auctoritate Pii quarti Pontificis Máximi rite per Germaniam promulganda et in morem inducenda curavit. A Paulo quarto ad conventum Petricoviensem ire iussus, aliisque a Gregorio decimo tertio legationibus ob-undis adhibitus, álacri sem-

per et numquam fracto difficultatibus animo, gravissima religionis negotia tractavit, ac vel inter praesentia vitae discrimina ad felicem exitum perduxit.

℞. Honéstum fecit illum Dóminus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductóribus tutávit illum: \* Et dedit illi claritátem ætérrnam, allelúia.

℣. Iustum dedúxit Dóminus per vias rectas, et osténdit illi regnum Dei. Et.

*Bened.* Christus perpétuæ.

#### *Lectio v*

**S**uperno caritatis igne, quem in Basilica Vaticana e penetralibus Cordis Iesu olim copiose hauserat, inflammatus, et divinæ gloriæ amplificandæ unice intentus, dici vix potest, quot, per annos amplius quadraginta, labores suscepit, aerumnasque pertulerit, ut complures Germaniæ civitates ac provincias vel ab haeréseos contagione defenderet, vel haeresi infectas, catholici fidei restitueret. In Ratisbonensi et Augustano conventu imperii próceres ad iura

Ecclesiae tuenda et mores populorum emendandos excitavit; in Vormatiensi insolentes impietatis magistros ad silentium adegit. A sancto Ignatio Germaniae Superioris provinciae praefectus, domos et collegia multis locis condidit. Collegium Germanicum, Romae constitutum, omni ope provehere atque amplificare studuit, in academiis sacrarum humanarumque disciplinarum studia, miserandum in modum collapsa, instauravit: contra Centuriatores Magdeburgenses duo volumina egregie conscripsit: et summam doctrinae Christianae, theologorum iudicio et publico trium saeculorum usu ubique probatissimam, aliaque complura ad populorum institutionem valde accomodata in vulgus edidit. Quam ob rem haereticorum malleus et alter Germaniae apostolus appellatus, plane dignus habitus est, qui ad tutandam in Germania religionem divinitus electus putaretur.

℞ . Amávit eum Dóminus, et

ornávit eum: stolam glóriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum, allelúia. √. Induit eum Dóminus loriam fidei, et ornávit eum. Et.

### Lectio vi

I nter haec, precatione crebra et assidua rerum supernarum commendatione, lacrimis saepe perfusus et animo interdum a sensibus abducto, Deo se coniungere solitus erat. A viris principibus vel sanctitate clarissimis et a quatuor Summis Pontificibus magno in honore habitus, adeo de se demisse sentiebat, ut se omnium minimum et diceret et haberet. Vindobonensem episcopatum semel, iterum ac tertio recusavit. Moderatoribus suis obsequentissimus, paratus erat ad ipsorum nutum omnia relinquere aut aggredi, etiam cum valetudinis et vitae periculo. Voluntaria sui ipsius coercitione castitatem perpetuo sepsit. Demum Friburgi Helvetiorum, ubi plurimum pro Dei gloria et salute animarum ultimis vi-

tae suae annis desudaverat, migravit ad Deum die vicesima prima Decembris anno millesimo quingentesimo nonagesimo septimo, ætatis suæ septimo supra septuagesimum. Hunc vero strenuum catholice veritatis propugnatores Pius Papa nonus caelorum Beatorum honoribus adauxit; novis autem fulgentem signis Pius undecimus, Pontifex Maximus, anno iubilæi, Sanctorum numero accensuit, simulque Doctorem universalis Ecclesiæ declaravit.

℞ . Iste homo perfecit omnia quæ locutus est ei Deus, et dixit ad eum: Ingerere in requiem meam: \* Quia te vidi iustum coram me ex omnibus gentibus, alleluia. ✠. Iste est, qui contempsit vitam mundi, et pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria Patri. Quia.

In III Nocturno

Lectio sancti Evangelii  
secundum Matthæum

Lectio vii Cap. 5, 13 - 19

In illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis: Vos estis sal

terræ. Quod si sal evanuerit, in quo salietur? Et reliqua.

Homilia sancti Petri Canisii  
Presbyteri

Notæ in Evangelia, in Festo S.  
Martini Ep., post initium

Amabo et colam missos a Christo Apostolos horumque successores in Evangelii semine spargendo sedulos et indefessos propagandi verbi cooperatores, qui iure testari possunt: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Voluit enim Christus ut vigilantissimus ac fidelissimus paterfamilias per tales ministros ac legatos lucernam evangelicam igne caelitus demisso accendi, et accensam non modico supponi, sed super candelabrum constitui, quæ suum splendorem longe lateque diffunderet omnisque tum Iudæorum tum gentium vigentes tenebras et errores profligaret.

℞ . Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, et de omni corde suo laudavit Dominum: Ipse intercè-



dat pro peccátiŝ ómnium populórum, allelúia. *Ÿ*. Ecce homo sine queréla, verus Dei cultor, ábstinens se ab omni ópere malo, et pérmanens in innocéntia sua. Ipse.

### Lectio viii

**E**tenim evangélico Doctóri sat non est, verbo lucrere populo et vocem in deserto clamántem præstare, multisque in pietáte iuvándis lingua óperam dare, ne alióquin, si verbi ministérium prætermittat, canis mutus non valens latrere a prophéta dicátur. Sed et ardere illum opórtet, ut, ópere atque caritáte instrúctus, munus suum ornet evangélicum, Paulúmque ducem sequátur. Is quippe non contentus Ephesiórum episcopo demandare: Praecipe hoc et doce: labóra sicut bonus miles Christi Iesu; constánter étiam apud amicos et inimícos evangelizávit, ac epíscopis apud Ephesum colléctis bona dixit consciéntia: Vos scitis, quómo modo nihil subtráxerim utílium, quóminus annuntiá-

rem vobis, et docérem vos públice et per domos, testíficans Iudaeis atque gentílibus in Deum pæniténtiam, et fidem in Dóminum nostrum Iesum Christum.

*Ŗ*. In médio Ecclésiæ apéruit os eius, \* Et implévit eum Dóminus spírítu sapiéntiæ et intelléctus, allelúia *Ÿ*. Iucunditátem et exsultatiónem thesaurizávit super eum. Et. Glória Patri. Et.

### Lectio ix

**T**alem enim pastórem decet esse in Ecclesiá, qui, more Pauli, ómnibus omnia fiat, ut in illo repériat æger curatiónem, mæstus lætítiam, despérans fidúciám, imperítus doctrínam, dúbius consilium, poenitens veniam atque soláciúm, et quidquid tandem ad salútem est cuique necessárium. Quocirca pulchre Christus, cum primários mundi Ecclesiaeque doctóres constitúere vellet, non sat hábuit discipulis dicere: Vos estis lux mundi: sed étiam illud subiécit: Non potest civitas abscóndi supra montem pósita, neque ac-

céndunt lucernam et ponunt eam sub módio, sed super candelábrum, ut lúceat ómnibus qui in domo sunt. Errant enim opinántes ecclesiástæ, quod múnere suo doctrínæ splendóre magis quam vitæ integritáte et caritátis ardóre possint satisfácere.

Te Deum laudámus.

*Ad Laudes* √. Iustum deduxit.

*Ad Bened. ant.* Euge serve bone.

### Oratio

**D**eus, qui ad tuéndam cathólicam fidem beátum Petrum Confessórem tuum virtúte et doctrína roborásti: concéde propítius; ut eius exémplis et mónitis errántes ad salútem resipíscent, et fidéles in veritátis confessióne perseverent. Per Dóminum.

*Ad Magnif. ant.* O Doctor óptime, \* Ecclésiæ sanctæ lumen, beáte Petre, divinæ legis amátor, deprecáre pro nobis Filium Dei, allelúia.

Die 5 Junii  
S. BONIFATII

Ep. et Martyris

II classis

Omnia ut in Breviarium Romanum.



